

DISPUTATIO PHYSICA,  
 de  
**F O R T U N A**  
 ET  
**C A S U,**

*Quam*  
 Consensu Ampliss: FACULT. PHILOSOPH:  
 In Regia Academia Aboensi,

Sub P RÆSIDIO  
*Excellentissimi & præclarissimi Viri,*

**D N. M. PETRI HAHN,**  
 physices Professoris Ordinarii, Præ-  
 ceptoris & Promotoris sui singulari-  
 venerationis reverentia suspi-  
 ciendi.

*publico examini modeste submittit*

**JANNES CLAUDII WÄGNER**  
 Neovia-Ingerm:  
 Auditorio Maximo, ad diem 13. Decembris,  
 Anno M. DC. LXXXVIII.

---

EBOÆ, Exc. apud JOH. WALLIUM, A.T.





IN NOMINE JESU!

PRÆFATIO

**P**hysicam qui ab initio legit Clavisimii SPERLINGII, habuit poæmii loco Scientiae ipsius Definitiōnem, una cum ejusdem divisione c'quæſtionum quarundam ſufficientiſſima enodatione, quæ abſolvunt circulum ſic dictim extra-essentialē. Succedit deinde cauſarū corporis naturalis ſuccincta & dilucide expositio, quārum ut quādam ab intra aliæ ab extra, idem corpus conſtituunt, ſic insuper priuationis exofæ, ac Materiæ prima nativum genium eludunt; ubi & de Natura agere viſum fuit Autori eidem. Hæc de hifce, & cauſis præſertim corporis naturalis per ſe. Ubi autem ad ea, quæ per accidens concurrunt ad eſſe corporis præfiniti, mentis A. ope-

opera progredimur, animadvertisimus cum non absq; accurata quadam rerum suarum tractatione, cum iudicio summo incidisse item, obiter licet in mentionem Fortunæ & Casus: quippe cognitis causis, que per se ad esse conferunt corporis naturalis, etiam insuper necesse est, ut cum dentur, que mere per Accidens, ac præter agentis intentionem in operatione adsunt, illas quoq; noscamus. Vene proinde hoc date Excellentissimorum Dni Professorum Præceptorum meorum submissæ honorandorum, quorum Enutim tanto mibi certior spondeo, quanto me sicundiori aura semper favere dignati sunt; Si ego, ut minus adhuc matrus, tentareo paucas admodum, nec sale adspersas nec Mercurio sacratas lineas, de causa hac per accidens Physicæ tradere, quippe qui auguror, quid? imo ex evidenterissimis quibusvis argumentis & admonitionibus id perspectum habeo, prius cum reverentia nominatorum meorum Præceptorum mentem fore, quod licet dignè minus hoc susceptum negotium exequi valeam; potius tam agam quantum potuero, quam ut neglig-

gen-

gens ac' deses in otio plane otioso, solus omnium  
 delitescam. Quin & recordor, quod vi-  
 ros nos statim nasci natura non voluit: &  
 cum mortalium singulorum adjutrix sit ea  
 promptissima, spero vel me simul ab intellectus  
 inferiori gradu ad paulo sublimius ejusdem  
 fastigium tandem deductum iri. Quocir-  
 ca bac invictè spe fretus, opus ipsum, bene-  
 dicente Divina Majestate, promptius ag-  
 grediar, sed Momo interim dictum expeto,  
 quod meminerit & se hominem esse, cui sem-  
 per facile est ( ut tumido collo plerumque  
 incedit ) emendare velle, que non sunt  
 sanctiora, quam ut intrent ejus fetidum ce-  
 rebellum; & invidere aliis, quod ipsi denega-  
 sum voluit perpetua sua socia oscitantia. De  
 bonis omnibus, & probe sinceris non est quod  
 aliqua ratione dubitem. Inde deponat Pavo  
 alas, & vigent aurcus usus sententiae cal-  
 culo omnium auree: Te ipsum nosce!  
 Vale.

IN

# IN CHRISTO VERO NUNC INCIPIMUS!

## §. I.

**F**ortunam qvi negant, ipsa sua dicta  
adeant & facta. Etenim memento,  
homo mortalis, ut cum adversa fata  
te premant, ingemiscis: Ah! Ah! non sic  
mihi eventurum putaram. Si è con-  
trario secundis semper velis in hoc O-  
ceano navigaris, quantum quæso de eo  
gloriaris, fortunæ filium te prædicans,  
cui omnia inopinato, omnia tam pro-  
spere cedunt. Sed cave rogo, quippe  
*Homines cum se permisere fortune, etiam  
naturam deducunt;* Unde & Cæsar  
summus ille Imperator: *Est rerum ac-  
cidentalium subitus & inopinatus eventus.*  
De bello Gall. Lib. 7: Cum autem plu-  
ra agere decrevimus de Fortune existen-  
tia in speciali quadam a nobis formata  
Quæstione circa Disputationis hujus fi-  
nem, pluribus jam supersedemus, &  
conferimus nos obiter iterum (cum ve-  
tet hic locus idem facere) ad Fortunæ  
existentis inquirēdam indolem ac geni-  
um, quippe qvi existimamus eam non  
talem causam esse, quæ per se ad corpo-  
ris

ris naturalis constitutionem accedit, sed habere alium eventum præter finem & effectum a natura ipsa intentum. Tantum ergo jam: nam etiam hanc rem ulteriori disquisitioni reservare constitui-mus, ipsam ejus definitionem & divisionem exponamus, nempe quæ causa per accidens est a qua corpus naturale non de-pendet per se, sed ratione alterius adjuncta. Est vero hæc causæ per accidens definitio Physica, quod per se sine am-biguitate constat, indeque tantum di-viditur in fortunam & Casum, non ut Genus in suas Species, sed ex diversitate solum objectorum; quoniam agit illa ēn προαιρέσεως hic v. ἄνευ προαιρέσεως ut dehinc,

## §. II.

Sed quærat paragraphus præfens, quo jure tractantur Casus & Fortuna in physica ? cum ejusdem sit Scientia, tantum agere de causis *per se*, ut ne-mo hic mentionem faciat justi vel de-bitij ejusdem in hac scientia loci ac se-dis. Verum dicimus hic esse omnino.

de causis agendum per *accidens*: nam ubi cuncti agitur de causis per *se*, ibidem agendum est de causis per *accidens*; ratio est, quoniam Opposita juxta se posita elucescunt clari<sup>9</sup>, omnis isto, quod scientiae sunt oppositorum. Nunc autem subsume de Physica, & conclusionem bonam habebis. Ast cum adhuc restet dubium ex objectione de sede propria; sciendum sedem illam esse in Parte Physices Generali, cum non huius aut istius individui *Fortunam* exponamus, tum quod scientia non sit singularium; quia Causae haec per Accidens non sunt determinatae. Porro quod consideret Physica primario, directe, & per *se*, causas per *se*, concedo: Absolutè vero, ita ut excludat causas per *accidens*, nego. Esto breviter: considerat Physica in parte sua generali causam per accidens, prout respicit corpus naturale, querendo: An sit? inde quid? tum quotuplex sit? & quid demum de illa fieri potest?

### §. III.

Eviecto ita, quod sint *Fortuna* & *Causa*,  
datis

& datis perpaucis in lucem, quæ eorum designant φύσις, & denominant sedem: exigit bonæ methodi ratio, ut simul referamus ὀροφαλλογίας & etiam περιμαλλογίας indolem hauriamus. Proinde fortunam a suo primitivo *fors* deductam volumus, quia cum *fors* a fe-ro significet illud, quod homini divinitus fertur & contingit, merito ac jure Fortunam inde, ceu à suo denominante, transumptam judicamus, cum sit *Dei voluntas hominibus rebusq; eventus providens & ferens.* Imo reperitur vox illa *fors* esse dubiæ significationis vocabulum; sic legitur qvod fortuna sit eventus incerti apud Historicos; sed *fors* fortuna conjunctim denotet eventum fatalem & semper bonum. Quidere in Quæst: ultima. Est interim *quibusdam summis Viris ad res magnas benerendas divinitus adjuncta fortuna,* Cic:

§. IV.

De Etymologia tantum. Nunc excipit nos Homonymia, suis semper involuta tricis. Sumitur igitur

tur *Fortuna* nunc 1. pro causa ejusdem efficiente principalissima, quæ Deus est; nunc 2. loco causæ Efficientis ministerialis, quæ *homo* est, venit: & 3. ponitur fortuna pro Objecto suo circa quod, ut pro divitiis; aliquando tropicè 4. pro maximis quibusvis felicitatibus, ut in initio paragr. I. addito hoc discrimine, quod alias ut rectius in plurali tantum sic usurpatur, ut *Comicus* in *Andr. Act.* 1. sc: 1. Sed non solum; cum & videre est apud modo citatum *Terent.* vocem hanc in plurali numero positam è contrario 5. sumi pro re maximè adversa, ut legere quis potest in *Phorm: Act. I.Sc. 4.* Præter hæc designat & fortuna 6. conditionem quan-dam & statum loco sui effectus. *Corn: Nep. in vita Alcib:* cap: 9. *Politice* 7. ex-primit Auspicium Majestatis, *Bœclerus de Reg. Ausp.* Ethice iterum 8. Adjunctum dicit summi boni commune: cum ultimo ac proprie Physicè sic dicta *Fortuna*, quæ nostra nunc est considerationis inopinatum & eventum for-tuitum

tuitum velit. Atque ne sic est fortuna nostra ab omni æquivocatione libera. Etenim in hoc suo significatuPhy-  
sico sumitur præsertim dupliciter: vel pro ipso Effectu, ut E. G. pro inventio-  
ne Thesauri: vel pro Causa causante, cui  
esse suum debent eventus isti fortui-  
ti. Et hoc modo iterum triplicem ad-  
mittit considerationis modum (α) pro-  
miscuum, cum idem prorsus si-  
gnificant *Fortuna* & *Casus*, (β) justo stri-  
ctiorem, cum Casus utpote terminus  
generalior fortunam tanquam in respe-  
ctu ad se specialius quid includeret: (γ)  
adæqvatum, qua ratione fortuna sit in  
solis agentibus intellectualibus, quæ est  
acceptio hujus loci propria. Verbo,  
his ritè observatis non arbitrii nostri  
est, quid quisque loquatur, quin tur-  
pi ejicitur quam non admittitur hostis.

§. V.

Edidit jam in lucem ad tenorem  
Logicorum paragr: III: Etymologiam  
fortunæ, qualem velint Logici, quæ in  
hoc Gram. discrepat; quod refertur ad

rē, nec in sola s̄istitur Voce, deinde Quod sumitur semper cum dependentia ad argumentum aliquod primum, in quo convenient; Grammatica non item 3. quod facit Etymologia Logica ad arguendum, Grammatica ad loqvendum. Ipsam vero distinctionem nominis qvod attinet, illa si consulis logicos, hic tantum est ex æquivocis, quæ talia sunt consilio, eam vero extricare & explicare allaboravit Parag. præcedens, qui simul præcavere voluit, ne vocis distinctiones multiplicaret, sed ratione potius instituti, aliquas & potiores enumerando, officio satis taceret suo. Restat idcirco ut hic parag: secundum susceptam à nobis in præsentia Methodum æquipollentium turbam, si modo quæ foret, adeat. Sed cum Fortunæ, ut solius est Physicæ considerationis, vix multa Synonyma invenias, plura nec dabit, quam qvod alii volunt fortunam alio modo dici vertumnam, à verbo verto. Adde inde si velis dictum Cicer. in Tusc. lib. 5. cap. 9: *Vitam regit fortuna*

*fortuna, non sapientia.* Qvod nisi per Fortunam hic fortunæ statorem intelligis, physicè hoc rectè explicatū, fortuna naturam sequitur, & sapientiam omnē falsè ridet; quoniam fit non fortuna per mentis intentionem, quod ipsum quo minus fiat, intercipere velle, est profecto cum ratione insanire. Alii volunt Casum tanquam Synonymicam nobis obtrudere vocem, sed rectè minus, cum æqvivoca fuerit paulo prius, & idem non procedere, nos bono cum Deo demonstratum ibimus uberius.

### §. VI.

In nostræ materiæ *περικλεογία* respicimus præsertim & absque mora ad ejusdem definitionem, quod scilicet sit *Fortuna Causa per accidens in his*, qui operantur ob aliquem finem ex electione, respectu eorum, que neq; semper, neq; ut plurimum sunt, ut vulgo: sive ex mente nostra: *Est Fortuna causa per accidens in his, que raro accidunt* & præter intentionem agentis secundum rationem, vel tandem ut Clariss: Sperlingius, qui fortunam

nam vult esse causam per accidens in actionibus hominum consilio certo suscepis, ubi preter intentionem alius nonnunquam accidit eventus. Oportet ergo justè apposita definitionem, adeoque & has tres in sua resolvi membra, ex quibus confabricatis, tandem unum succrevit. Quapropter ne nos in alios forte inculpabiles, hoc nomine accusemur, properabimus jam dare ultimæ allatæ definitionis brevissimam resolutionem, & inde eodem negotio breviorem nec inutilem, ut speramus, excusum faceræ, inquisituri; Sit ne aliqua ultima Definitionis discrepantia nec ne? Partibus interim suis duabus se indolis probæ esse probat omnis Definitio accuratior, Genere nempe & Differentia, quæ dari quandoque potest probatissima, etsi non semper specifica; qvanqvam nec exceptione tali nunc egent nostræ. Nam habent utique omnes, genus adæquatum ac proximum, quando effteruntur per Causam, quæ per accidens est talis: habent etiam differentiam specificam,

opera-

operari ob aliquem finem ex electione, &c.  
 Quæ raro accidunt & præter intentionem a-  
 agentis secundum rationem: & esse per acci-  
 dens in actionibus hominum certo consilio  
 suscepisti. &c. De alio aliquo agente  
 prædicari posse præter hominem. Est  
 quippe Differentia specifica, quæ uni  
 tantum speciei competit. Differentia  
 allata talis est. E. Sed est interim, quod  
 in Paragr: seqv: de genere præmone-  
 amus.

### §. VII.

Dicitur *Fortuna Causa*, cum ab illa  
 producitur effectus, voces autem ad-  
 duntur *per accidens*, qvoniam non est  
*Fortuna Causa* effectum intendens *per*  
*se*: sed præsupposito jam hoc, illa inde  
 insperato accidit, & operante adhuc  
*Causa* illa *per se*, comproducit hæc ef-  
 fectum suum per accidens talem. Ex-  
 emplo res evadic clarius. Sit, qui pi-  
 sces captum exiret vel feras, inter au-  
 tem eundum invenerit sibi obvium a-  
 micum vel familiarem, qva de re si-  
 bi immodecē gratulatur. Erit ergo  
 hujus

hujus deambulationis Piscatio aut  
venatio causa *per se*; sed alia quædam ac-  
cidentalis eidem ex inopinatò super-  
venit effectum suum intendentì,  
nempe quod invenit ac sibi obvium  
habuit suum familiarem. Et hæc qui-  
dem de genere latis; nisi quædam qua-  
si occulta & ut in lucem dentur digna,  
in nostro hoc etiamnum laterent gene-  
re. Q[uo]d circa eadem explicaturi, ob-  
servamus, quod *causa per accidens*, præ-  
ter quæ dicta sunt, modis dicitur præ-  
fertim duobus. 1. est is, qui *cause* per  
*se* accidit, quomodo Musicus dicitur  
*causa ædificii* per accidens, quia mere  
accidit, ut idem sit ædificator & Mu-  
sicus 2. & adhuc magis Physicè indi-  
rectè licet, cum effectum per se inten-  
tum effectus alter non intentus comi-  
tatur. Q[uo]d iterum modis contingit tri-  
b⁹ (α) cum effectus ille non intentus ne-  
cessario & semper accidit: ut ad produ-  
ctionem hominis, qui est generationis  
effectus per se, una producitur ri-  
sibile: (β) cum effectus non inten-  
tus,

tus ut plurimum accidit. Ut ex ferro carenti contuso scintillulæ exsiliunt, hæc enim per se non intenduntur à fabro, ut plurimum tamen exsiliunt cum faber candens contuderit ferrum: (γ) cum effectus non intentus raro accidit, ut inventio Thesauri cum terra fossa accidentario est conjuncta, & præter opinionem inde accidit ad effetum proprium fossoris, & per se talis: quæ ultima notatio genus nobis nostræ Definitionis constituit adæquatum & proximum.

### §. VIII.

Hæc de genere: dabunt voces in Definitionibus sequentes alia; quo circa conferre nos volumus ad datarum definitionum differentias, Sunt interim nobis veneranda verba in Definit. Clariss. Sperling. in *actionibus hominum certo consilio susceptis, ubi præter opinionem inopinatus eidem supervenit exitus.* Sunt, inquam, nobis zelo suspicienda; sed si quid exercitii & melioris informatio-

nis

nis nostræ causa laborare possumus,  
 de hoc tantum solliciti erimus, ut mo-  
 do allatæ definitiones amice conspi-  
 rent. Verba Cl: Sperl: exposita sunt prius,  
 nam in istis verbis non vult intentio  
 Autoris effectum fortuitū fieri propter  
 finem aliquem intentum. Jam inde re-  
 dimus ad Definitionem *fortune* vulga-  
 rem, & quidem ipsam ejus Differentia-  
 m, quam constituunt verba, *operationum*  
 ob aliquem finem ex electione deductarum.  
 Verba interim illa priora convenient  
 Definitioni Sperlingianæ. Scrupulū tan-  
 tum addunt verba ex electione deductarum.  
 Quo nomine non volumus cau-  
 sam nostram per accidens, Fortunam,  
 præsupponere Electionem in *causando*;  
 foret quippe hoc contradictorium, esse  
 ac fieri per *accidens*, & simul ex *Electione*.  
 Tum ut differentiam in se contractam  
 quidem, adhuc contraherent, quia quæ-  
 cunq; demum fuerint naturalia, ob finem  
 aliquem agunt, qualiscunq; demum fu-  
 erit, per se vel per *accidens*. Unde si nihil  
 aliud poneremus, vel eam sententiam

excludet ipsum nostrum genus, quando scil: fortunam definimus *Causam per-accidens talem*. Rationes habemus, quippe esse *per accidens*, & esse *ex electione*, ut nodo dictum contradictoria sunt. Sed constat, ut & hoc repetam Authorem id posuisse vocē illam *respectiva* ad ipsum ubjectum non ad operationem aliquam, nempe ut eo sine *Fortunam* distinctionem aceret ab ipso Casu, qui quoque per accidens agit, sed in naturalibus agentibus absq; electione. Adeoq; concedimus Cl: Sperl: ejus argumentum verum ac immotum, sed interim dicens mentem aliam fuisse Authoribus le causa hac *per accidens*, in ea à nobis illata Definitione, quod ex dictis constat. Patet omnimodè quod & ante insigilavimus, esse aliquando ipsum *Cau-*  
*m significationis latoris ipsa Fortuna*, nam in hoc sensu quicquid *fortunæ* adscribitur, à *Casu* factum rectè dicitur, it non contra. Sic ovum lapide descendet contusum de casu dolet, non le fortuna sua, est namque illa eorum

qui agunt ex electione, ut toties dictum. Inde autem est quod dixit Aristoteles, res ratione carentes, res inanimatas, bestias & pueros nihil fortuna facere posse, quippe quae non merito & recte dicuntur fortunata, nisi *analytice per Metaphoram nudam*, utpote cum dicit aliquis ideo fortuna dotatos esse lapides, quod fiant Altaria, rursusq; in fortunatos alios, qui pavimenti munia praestant; ridiculum caput. Interim ex modo dicto Philosopho notandum est, quod etsi pueri, bestiae & alii fortunam agere non possunt, ut dictum, pati vero a fortuna queunt.

### §. IX.

Restant etiamnum ex Definitione nostra voces, quae neque *semper neg. s;* plurimum fiunt, quia si temper vel ut plurimum talis effectus accideret, & Effectui adderetur per se intento, non utique hic proprie diceretur *causa per accidens* fortuna, relative ad illum effectum

Etum ; scilicet *stultum* est, dicente Thoma, quod quis intendat aliquid & non intendat, aut non velit id, quod ei vel semper vel ut plurimum conjunctum est. Discursus nostri nervus itaque & intentio est, velle voces ibidem expressas; quae neque; *semper negant ut plurimum*, eandem rem ac alias vox raro, describere. Evicto hoc, addimus nunc insuper (ut melius & magis sit unicuique ad manum, quae nostra sit mens') quod duplicis præsertim sit significationis vocabulum *raro* (*α*) fieri solet raro ratione *temporis*, ut Ecclipsis; ratione item *causa* cum hac vel illa causa posita, raro luci datum fuerit illud, quod venire deberet. Scilicet contingenter & raro admodum fit, quod Thesaurum inveniat, qui officiis, quibus terram fodiet, adest. Hinc quod solum rarum est modo isto priori fortunam ignorant, quia ob causam *per se* talem & necessariam, necessario semper fit. Vide alias Ecclipsin lunæ. Verum quod raro fit modo posteriori il-

Iud omne suum esse fortunæ attribuit. Verum quo iterum vadimus. Est, quod nemo ambigit, qvæ significationem idem genus harum definitionum trium. Idem etiam, modo quis ad factam & datam interea explicationem differentiatione earum respiciat, conceptus. Nulla hic obscuritas, tautologia plane nulla, ne dum vilis aliqua; nempe tautologia tunc in definitione est, cum voce aliqua ablata, sensus tamen manet integer & perfectus. Qvin concedit Clar. Sperl. esse ea omnia bona ac justa extra Definitionem, in ea nunc parere obscuritatem & nunc tautologiam, Et cum contrarium vincit & præpondet, nescimus quo fato definitio illa laboret. Notandum est in super, quod si quis brevioris stricturæ definitionem adamaret, ob juvandam memoriam, per brevitatem dedimus nos & illam, qvam sine explicatione ulteriori, cuique claram & perfectam judicamus.

§. X.

Hactenus de Definitione. Causæ succedunt

cedunt, quæ licet fortunæ ut causæ eu-  
 jusdem per acc. fuerint; ubi tamen ad e-  
 jusdem Efficientem respicimus, univer-  
 sale illam independentem ac primo  
 omnium primam præterire hic non  
 audemus, quippe quâ sciente & diri-  
 gente omnia, sive *per se*, sive *per accidens*  
 evenerint, sive bona sive mala fuerint  
 contingunt. modum a quo hoc sit a-  
 lium dare non possumus, quam ut sit  
 vel *per cooperationem*, *approbationem* vel  
*permissionem*, & *directionem*. Sed forsitan  
 Discursus Practicum hæc sapiunt, præ-  
 stare procul dubio existimaret a liquis  
 nos tantum circa illud manere, quod  
 concurrit Deus ad hujusmodi naturam  
 sustentando; nam memores nos opor-  
 tet esse Theoreticarum rerum, nec ex-  
 tra Scopum Disputationis devagari Pro-  
 inde cum modum ipsum quo fiat id,  
 aliis investigandum relinquimus, addi-  
 mus solum, qvod qvi quid sit, hic non  
 est tamen per accidens in conspectu Dei,  
 cum ipsi omnia ab æterno pateant ut  
 nuda ac supina quæcunque dehinc fu-

tura; sed accidit hoc ut sic nominetur ob mentis nostræ imbecillitatem, quæ in luce tenui cæcutire post lapsum nata est. *Causam autem Physicam ac propiorem* ubi incumberet nobis dare, cum pecu-  
 liaris Effectus perculiare postulet Cau-  
 fam aliam vix, utpote exproprii ingenii cerebello enatam, invenire, aut mentis o-  
 pera assequi valemus, qvam quod ea sit,  
*Inordinata & præter intentionem agentis, ex*  
*inopinato supervenientis, causæ per se agen-*  
*tis dispositio, detortaq[ue] aliqvando confusio-*  
 Cujus naturam explanare, tanto minus  
 nostrum fuerit, cum & in his, qvæ juxta  
 vel secundum naturæ cursum in lucem  
 eduntur, non raro caligamus. Notamus  
 interim quod causa *que per se agit* non  
 recte existimatur ex judicio nostro,  
*cause* hujus per *accidens*, quæ *fortuna* au-  
 dit, fons seu origo esse: nam in Essen-  
 tialibus qvalia hæc erunt, valet profecto  
 illud & est certitudinis immortæ. *Q[uod]*  
*qvalis causa tale est ejus Effectum & contra,*  
 subsumo, sed Effectus ipse, fortuitus est,  
 ergo

ergo & causam ejusdem indolis esse  
nobis persuadebimus.

§. XI.

Causa Fortunæ *materialis ex qua* a-  
nalogice ita dicta, cum ea proprie ac-  
cepta, est solius corporis naturalis, est  
ea ipsa res, ex qua fortuna perducta  
deducitur essentialiter, quamquam non  
complete, requiritur insuper accessus  
formæ ad constitutionem totius, sed  
nostrum nunc est dicere quod habe-  
bit se ea ut principium nude passivum  
causæ hujus per accidens, & inde si  
quis de materia illa subtili quid dice-  
ret, ac velle, eam non fore passionis tan-  
tum, sed etiam habere Actualitatem in  
se: Respondemus quod vetat id fieri  
Canon oppositorum ex logicis, &  
posito, quem unum & eundem inter-  
cedere inter materiam & formam a-  
gendi modum, nam & id fallit, ostendam  
insuper, qua ratione in materia  
plane homogenea pars una agit, alte-  
ra istam conditionem in natura sua, ne-

sciente. Verum patescent plura in ipso Discursus actu, bono cum DEO: nos tantum absolute negamus materiæ omnem activitatem & contendimus materiam in qua esse non actiones aliquas naturales, sed *hominum* quæ tunc accidentalem hunc agendi modū subeunt, cum rectus naturæ ordo agentiū cum intentione & ex præelectione aliqua ratione à proposito deflectit. Subiectum quod & totale est homo, partiale intellectus, non quod actio hæc accidentalis, ex iudicio *intellectus* proveniat, cum tum non fortuita esset, sed per se; verum cum actio non hominis. quippe quæ potest & admittere in sua castra mere naturales illas actiones, quæ à sensibus proveniunt, & nobis communes sunt cum brutis. Sed *humana*, in quæ hujusmodi fortuita non raro contingunt, absque intellectu & voluntate, non fieri & esse posse dicitur:

### §. XII.

Forma causæ hujus, iterum per analogiam talis, per accidens, i.eaq; specifica, non

non generica, qvia contradistingvitur  
 formæ casus; neque singularis, cum ipsa  
 in qua fortunam tractamus disciplina,  
 non curat individua: est principium il-  
 lud unicum activum, per quod *fortuna*  
 est varia ratione objectorum, acciden-  
 talistamen, nobis ad modum formarum  
 omnium incognita; ubi tamen progre-  
 dimur in hac nostra cœcitate, quo  
 usque possumus, & ut loqvuntur, a po-  
 steriori judicamus, & quidem hac vice  
 ab ipso ejusdem *Effectu*; eam in qvæ-  
 stione qvotuplex? duplicem præsertim  
 esse statuimus, *bonam* scilicet & *malam*.  
 Qvæ fortunæ divisio, alii alicui loco su-  
 isset reservanda, nisi ex mentione & in-  
 dagatione ipsius formæ, nobis heic  
 commode & apprime ad manum adfu-  
 isset. *Finis* interim fortunæ & is inopi-  
 natus, turn accidentalis & rationi plane  
 incognitus quippe non intentus, est qui-  
 dem primo utpote summus *gloria DEI*,  
 cum omnia quæcunque demum sunt, fi-  
 unt propter gloriæ *DEI*. Inde quidem  
 est finis causæ hujus *per accidens* is, ut nos

existimamus, quod Fortuna homini sit vel in pœnam, vel comodum ex nuto & dispositione certa Divina, quæ, ut repetamus verba nostra in Causæ effientis expositione allata, & mentem inde melius explicemus nostram, circa hoc momentum, dicitur, tantum illa peculiaris divina dispositio, & respectu nostri inopinata qvædam dispositio.

### MEMBRUM ALTERUM, DE CASU

**C**asus est nomen Verbale a *cado*, significat enim hoc verbum de orsum ferri, quod & violenter accidere potest, adeoque exponit hoc ejus derivativum, juxta Coldingium ipsum cadendi modum. Ad hæc significat alias casus *calamitatem* ut Cic. de Orat. lib. 3. cap. 3. Inde conditionem, ut illud Taciti Lib. 12. Annal. cap. 14. *Rem in casum dare prælioque experiri statuit*, & sensu plane eodem in bello Jurguth. cap. 25. *Sperabat se casum Victoriae inventurum*.

Qvar-

Quarto notandum est, quod per *magnum Casum* intellexit Manlius Lib. V. 530. fortunam Epicuri, qvippe qui omnia cœcæ fortunæ tribuit. Alias lumen casus, licet in parte Philosophiæ instrumentalis, pro affectu nominis, aliam atque aliam terminationem inducens ex natura situs vel termini, quem causatur oratio sive compositio. Sed ex sententia nostra pro eo, quod præter agentis naturalis intentionem incerto eventu accidit. Qvocirca Curtius Lib. IV. c. 7. *Qvum repente sive illud Deorum munus sive casus fuit, &c.* Synonyma hic nulla sunt, vel, si quæ intellectus sagacioris ope inventire quis studeret, existimamus illa non eo labore fore, ut nostram remorentur festinam brevitatem.

### §. II.

Dedit prius membrum triplicem Definitionem, idem ergo ne quid hic deficiat, effectui dare statuit hoc, quod nobis ad manus est momentū, & casum more

more vulgi definit, qvod sit *Causa per accidens in actionibus rerum naturalium ob certum finem susceptis*, ubi præter intentionem alius nonnunquam accidit eventus. hoc ex mente nostra. *Casus est causa per accidentis in iis qui accidentur raro agentibus sine ratione.* vel juxta Cl. Sperl. est *Casus causa per accidentis in actionibus rerum naturalium ob certum finem susceptis*, ubi præter intentionem alius nonnunquam accidit eventus. Qvorum trium quæ sit explicatio convenientiæ & distinctionis, cum uti speramus ex superioribus patescit, nos tantum jam addimus, quod nihil existimamus fore in qvibus discordemus, quam solum in eo, ut ante dictum qvod *Casus est rerum naturalium.* Qvia non differunt *fortuna* & *Casus* dicente Claris. Sperling. qvoad formale sed qvoad materiale, agunt quidem ambo per accidentis, ambo, quod verum est involvunt, sed in hoc tantum distingvuntur, quod sectetur altera opera libertatis; verum *Casus* ab officio adest rebus necessario agentibus. Hic opponunt, si qvi-

de quidem interpretes; quippe qui confuse admodum agunt, habentes phrases; agere ex *consilio* ex *proposito* & ex *intentione* tanquam Synonymicas & æquipollentes: sed false minus declarant Interpretes, & insulsos maxime in hoc negocio. Nam id dicere possumus, quod nec semper valebit colligere ab actu voluntatis ad actum intellectus, nam suspenditur adhuc non raro illa operante Intellectu. Secundo concedimus omne consilium præsupponere intentionem, at non reciprocē. Est proinde intentio terminus quidam latior, qui negari non potest Brutis, et si ratione carent, quam prærequirit tanquam necessariam, ipsum consilium. De definitione interim illa vulgari & ejus defensione, explicatione & sufficientia, arbitramur constare ex resolutione definitionis prioris fortunæ, utpote inter quas magna intercedit Analogia.

### §. III.

Dividitur Causus non minus ac fortuna non a priori specificē & essentia-liter,

liter, sed ob eventum bonum vel malum, estque igitur una actio naturalis, quæ ex diverso diversimode cognoscitur eventu. Habet se ipsa actio indifferenter ad bonum & malum, ut rete inde dico casum, quem Physice tractamus esse *bonum* vel *malum*. Sic actio tegulis decidentæ de te&o & quod prætereuntem in descensu suo lædat; dicitur Casus malus; quod autem alium transeuntem non attingit, dicitur & est merito *bonus*. Idem apparet in exemplis aliis. Sed monet nos tempus ut ad Casus hujus causam properemus, quod ipsum tanto citius à nobis expeditur, quanto majorem & arctiorem cognitionem habet cum causis fortunæ, quæ in lucem simplicissime datæ sunt. Idcirco hujus etiam Casus causam solum materialem differre in eo quod aliam postulet causam *ex qua* utpote naturalem; necessariam, non liberam. Materia ita *in qua*, erunt corpora quæ destituta sunt ratione. Rursusque horum operationes, Causa casus

Forma-

Formalis non magis differt, quam quod operetur in diversa materia, nec omnis forma quamlibet informat materiam: concurrunt Casus & fortunæ formæ in operando per accidens, in bene vel male agendo. Finalis autem utriusque Causa prorsus eadem, scilicet ut sint in DEI honorem.

### MEMBRUM TERTIUM,

#### §. I.

**T**raictavimus hactenus manu, qua potuimus & quanta maxima nobis adhuc obtingit fide, fortunæ fata & casus naturam, in membris præcedentibus, restat idcirco in membro hoc ultimo de causæ utriusque existentia paucis inquirere.

*An detur in rerum natura Casus & Fortuna?*

Dictum fuit hac de re in Disputationis hujus initio de fortunæ adeoque & de Casus existentia, sed ut adhuc clarius res eadem percipiatur, nos non pigebit fusius paulo rem eandem notare, ad hoc

hoc faciendum inde commoti, quod nostrum qvivis novit effectus exoriri improvisos, qui causam non agnoscunt determinatam, inde necessum est nobis hic ad causas recedere eas, quæ ut contingenter fiunt, sic causæ solum *per accidens* suum statum ac naturam debent: Sic qui drachmam inquirens perditam, thalerum invenit, non inventum eum ex intentione, & determinato studio & perse, sed per accidens tantum, ac præter opinionem. Idem judicium esto de casu. Sed dicitur hujus Effectus casualis & fortuitus, non quod a nulla Causa provenit efficiente, id namq idem est ac dicere aliquid fieri ex nihilo *naturaliter*, sed non fit per agentis ipsius dispositionem, verum extra ac præter illam.

*An aliquid Casu & Fortuna fiat?*

Nam evicta rei hujus per existentiam & resolutio quasi ejus ventriculo, sequitur omnimode indagandum quo fini qva gratia & qualis demum sit effectus, inde fluit hoc & ipsum quod mo  
d

do quærimus, an aliquid fiat Casu & fortuna?  
 Hanc ut melius intelligamus qvæstionē,  
 præcognoscendū nobis est, duas hac de  
 re existere diversas sententias. Una est  
 veterum, quod singula, quæ fiebant for  
 tunæ adscribabant, ut cuidam stolidæ,  
 mentis experti, omnia temere admini  
 stranti, vagæ, cæcæ, volubili inconstan  
 tia & levitate constanti: qvapropter  
 eam rotæ insidentem fecere, eo, qvod  
 scilicet res humanas sursum deorsum  
 vertat. Altera negat a fortuna ali  
 quid provenire & Casu, sed omnia fa  
 to & legi cuidam inevitabili adscripta  
 expedit, ad illud Curtii lib. 5. cap. II.  
*eludant licet, quibus forte ac temere humana  
 negotia violvi, agiq; persuasum est.* Evidem  
 æterna constitutione crediderim, nexuq; Cau  
 sarum latentium & multo ante destinatarum,  
 suum quemq; ordinem immutabili lege percur  
 rere. Sed, ut ad posterius Resp. primo:  
 novimus certe fatum ( licet non sit di  
 visio aliqua generica in suas species,  
 sed æquivoca in sua æquivocata ) esse

quadruplex *Theologicum* scilicet, *Astrologicum*, *Physicum* & tandem *Stoicum*. Ultimum hoc, de quo Curtius, plane rejicimus. *Physicum*, ut Physice nunc disputationem, non improbamus, quippe quod ad causas tantum spectat naturales, non vero liberas, nec providentiam excludit, sed includit intimè Divinam. *Astrologicum* fatum hujus loci non est, sed si interim quid de eo discurrere instituimus, certum est suos illud habere limites, & ut in se verissimum & certissimum est, ita respectu Astrologorum prudentissimum vel vanissimum, dicente Sperlingio. Etiam illud in corpus tantum hominis imperium exercere, declarat ipsius animæ voluntatis libertas. Et quanquam verum sit illud tritum : *Astra inclinant non necessitant*; contendimus tamen nos nihil directe ea facere, sed indirecte tantum, quorum actionis vis non est violentia. Scilicet sunt astra causa actionum in homi-

homine, secundum potentiam ut fieri possunt: Animus tamen adhuc est causa quoad actum, qui agere & non agere potest, etsi ejus corpus proclive fuerit ad actionem. Interim dicas: fato cuncta fieri & quidem verissime, proinde attendas velim ad illud, quod adhuc restat fatum utpote Theologicum, a quo omnia, per quod singula, in quo maxima, ex quo summe quæcunque optima fuerint, eveniunt & qvo tandem redeunt. Sed interim ad examen alterius sententiae deveniendum. Voluit imprimis ea, omnia fortunæ adscribi debere, cuius jam deditus imaginem. Verum immerito & sine causa: Sed dicimus (ut verbo indicavimus prius) a fortuna qua tali nihil profecto venire. Secundo, volumus esse aliquid a *fortuna* & *Casu* respectu creaturarum, in eo sensu, quo jam illas res explicuimus, in creaturis enim multa præter intentionem agentis fiunt, ut abunde testatur experientia.

rientia. Verbo, quis queat omnia pro-  
videre? mortalium cogitationes tumi-  
dæ sunt, incertæ providentiæ no-  
stræ. Sed velis fortunam & casum  
non esse causas per accidens; sed ne-  
cessarias; quia ea est causa necessaria,  
quam necessario sequitur effectus; at-  
que fortuna. E. Verum Respondemus,  
Est tantum illa necessitas hypothetica  
ex contingente, si scilicet fodit terram,  
ubi thesaur⁹ recondit⁹ est, illū necessario  
invenit. Nec valet, si instares dicēdo,  
effectū esse ex concursu plurium cau-  
rum per se in hac hypothesi, utpote fo-  
dientis & abscondentis. Negamus illam,  
quam tibi confabrikaſti conſequenti-  
am, aliud e. est fieri ex concursu per  
ſetali, in cauſis iis, quæ plures per se  
concurruunt, & aliud eſt fieri in eo-  
dem concursu, ſed per accidens. Sci-  
licet eſt concursus & combinatio cāu-  
farum duarum, quæ etiamſi ſint am-  
bæ per ſe, in ordine ad ſuos effectus,  
ipsa tamen combinatio non per ſe, ſed  
for-

per accidens & contingens. Sed in-  
 itas, concedendo effectum quidem  
 fortuitum, esse ita fortuitum, ut repu-  
 gnet eum aliter esse, adeoque effe-  
 ctus iste per se est, & qualis demum ef-  
 fectus, talis etiam causa erit, nempe per  
 se, non per accidens talis. Respon-  
 demus esse ibi ignorationem Elenchi,  
 quia non negavimus effectum per ac-  
 cidens, sed tantum id voluimus, ut  
 effectus fortuiti entitas, non per se in-  
 clinationem dicat naturalem in causa  
 ad effectum ejus, cuius media adhi-  
 bentur natura sua, ad finem aliud.  
 Nunc ergo concludimus, quibusdam  
 Clariss: Sperlingii axiomatisbus, quæ  
 materiam concernunt præsentem, ad-  
 ditis, utpote: *ubi multum intellectu, ibi pa-*  
*rum fortune, & contra.* Casus scientiam  
 non parit. *Quae casu fiunt, raro fiunt.*

Rogamus te Lector benevole huma-  
niter, ut potius Adolescentis minus ac-  
curatam diligentiam adjuvare dignes-  
ris, cui in occupata materia felicius  
ob ætatis vitium versari non licuit, quam  
ipsum nimis rigida censura a pro-  
posito tam honesto deter-  
rere,,

